

19.

DISSERTATIO MEDICA

DE

REPELLENTIVM V SV DAMNOSO,

QVAM,

DEO TRINVNO AVSPICE,

RECTORE HVIVS VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA,
ILLVSTRIS AC GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICAE CONSENSV,

PRAESIDE

VIRO NOBILISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

HERMAN. FRIDER. TEICHMEYERO,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, CELSISSIMAE S. R. I.
COMITIS DE HATZFELD ET GLEICHEN ARCHIATRO
ET MEDICO PROVINCIALI,

PATRONO, PRAECEPTORE, SALVTIS QVE MEAE AMPLIFICATORE
SYMMOPERE DEVENERANDO,

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IOH. HENR. GIESELER,

CRANNICHELD. THVR.

Ad. d. XXII. APRIL. MDCC XVI.

IN AUDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVENTIS.

J E N Æ,

TTPIS KREBSIANIS.

VIRIS

Nobilissimis, Consultissimis ac Pruden-
tissimis,

D N N.

CONSVLIBVS,
SYNDICO,

CÆTERISQVE ORDINIS SENATORII

IN REPVLICA ARNSTADIENSI

*Proceribus & Patribus Conscriptis longe
spectatisimis.*

DOMINIS ET PATRONIS

submisso animi cultu atatem

devenerandis.



VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
atque Prudentissimi.*

DOMINI ET PATRONI
SVB MISSO ANIMI CULTV ETATEM
DEVENERANDI.



Iu multumque, quo obser-
vantiæ genere, tot a Mu-
nificentia Vesta benefi-
ciis ornatus, Vos affice-
rem, cogitanti hocce tan-
dem succurrit, facturum me ex omnium
sententia optime, si Disputationem, de
REPELLENTIVM VSV DAMNOSO conscri-
ptam, Vobis dedicarem. Cum enim
Salutis & Studiorum meorum Ampli-
ficatores huc usque existitis perbeni-
gni; Dum præsidiis hucusque Musas

A 2

meas

meas sublevasti : In pietatem istam,
quam Vobis debeo, turpiter peccarem,
nisi aliquod testimonium observantiae
in Vos meæ extare vellem. Accipi-
te ergo, Patroni benignissimi accipite,
inquam, hanc Dedicationem instar
prædis cuiusdam, donec ea, quæ Vobis
debeo, fortassis largius compensare
possim. Quod reliquum est, Deum-
ter optimum maximum supplici voce-
rogo, ut diu Vos in Republicæ Arn-
stadiensis commodum superstites esse
jubeat. Ita ex intimo vovet pectore

NOMINIBVS VESTRIS INCLYTIS

Dabam
Jenæ, d. 22. April.
1716.

Cliens obstrictissimus
IOH. HENR. GIESELER,
Med. Stud.



PRÆLOQVIVM.



A merito in Disciplinarum Practicarum Effectivarumque tractatione procedi solet Methodo, ut non ea solum, quæ ad finem earum obtinendum faciunt, afferantur, sed ea quoque, quæ dampnum inferunt, adeoque obstaculo sunt, quo minus finis præfixus attigi queat.

Sic Reverendi Theologi non de fide solum, uno post lapsum ad salutem æternam perveniendi medio, sollicite præcipiunt, sed incredulitatis etiam natu-ram exponunt.

Sic Jureconsulti quoque in stratagematibus de- legendis, quibus rabulæ nonnunquam causas justas pervertere satagunt, occupantur.

Politici, præter media rebuspublicis de felicitate prospiciendi, rimantur quoque causas eversionis & mutationis rerumpublicarum.

Logici non contenti sunt, syllogismorum demon-strativorum rationem docuisse, sed adjungunt insuper doctrinam de fallaciis, seu syllogismis, quos vocant, lo-phisticis, & sic porro per omnes Disciplinas Practicas Effectivasque.

DISSERTATIO MEDICA

6

Unde nec Medicis virtus poterit, quando, communi Methodo insistentes, ad Remedia Noxia quoque digrediuntur, ac sanitati, vel restituenda, vel conservanda, e diametro repugnantia, qualia sunt Venena &c. Nec falluntur, quando in eorum classem referunt Repellentia, quippe tantum abest, ut illa morbis praesentibus abigendis, aut imminentibus arcendis, cum optato eventu opponi possint, ut potius eorum usus plerumque perniciosus evadat. Atque hoc praesenti hac dissertatione pluribus demonstratum ibimus. Fasit Deus, ut fiat feliciter.

§. I.

REpellentium nomen tam clarum ac perspicuum est, ut vix opus sit, hujus vocis præmittere expositionem. Nam *repello* componitur ex particula *re*, (quæ Latinis variam habet significationem. Notat enim vel iterationem, & sic quasi reciprocationem, qualis significatio & hic applicanda. Interdum significationes verborum non mutat, interdum perfectionem denotat, quæ variaz significationes in Lexicis reperiuntur) & ex verbo *pello*, hinc idem est, ac *repromo*, *repercuso*, inde *repellentia*, *reprementia*, Græcè ἀπορριψις, sic DIOSCORIDES lib. 1. cap. 167. dicit: ἀπορριψία ναταράτωμα, i.e. cataplasma ad corporum vitia repercutienda, irem παλιθρώμα ab effectu, quem præstant; Germanicè *zurücktreibende* remedia vocantur.

§. II. Cum enim Physicorum & Medicorum verum Objectum sit non *Spiritus*, tanquam substantia immaterialis, cuius essentia & proprietates eruditissimis viris minus innoverunt, sed *corpus*, vel potius *materia* & *eius motus*; ideo à motu

DE REPELLENTIVM VSV DÄMNOSO.

7

tu humorum in corpore humano existentium diverso, qui à Medicamentis efficitur, ipsis remediis varia nomina imposita sunt.

§. III. Alia enim salutantur *discutentia*, vel *resolventia*, quæ liquida stagnantia, coagulata, extravasata, non circulantia, in majora corpora concreta, ita attenuant, ut propter suam ratione diametrorum recuperatam subtilitatem & exiguitatem iterum poros vasorum sanguiferorum conicorum exiguos intrare & cum toto sanguine in circulum abire valeant.

§. IV. Dantur & *attrahentia* (minus tamen congruè ita dicta, quoniam *attractio*, propriè loquendo, inter non entia refertur, & ideò ex scholis Physicorum & Medicorum jam dudum relegata fuit) qua humores, aliaque fluida, provocant, invitant, & quasi ad partes exteriores alliciunt, quælia proficia reperta sunt in Paralysi & Ariduris artuum, ad Spiritus, per obstructionis nervos infestantis solutionem, iterum commovendos, sanguinisque in vasis motum retardatum accelerandum, ut ita sensus, quem præstant nervi subtiliores, motus, quem præstant nervi duriores, ac nutritio, quæ per vasa sanguifera absolvitur, restaurentur.

§. V. Comparet etiam in catalogo remediorum, medicamentorum repellentium tirulus, quæ motum humorum è loco minus tuto, magis sensili, vel ratione sui officii magis excellenti & principali, deducunt ad locum longe commodiorem securioremque, vel etiam a centro ad circumferentiam corporis. V. g. talia sunt Bezoardica, omnium morborum tutissima remedia, que nunquam calet faciunt, sed tantum motum sanguinis æqualem vel conservant, vel restituunt, materiam malignam à centro ad peripheriam corporis successive pellunt, ibique per poros exspirare faciunt, imò orga.

organa motuum automaticorum à destructione præservane, ne illa in motu subsistant. Sic revulsio ipsa cruenta instituitur variis in morbis periculosisimis, imprimis in Inflammationibus & Hæmorrhagiis, aliisque pluribus affectibus, cum successu, de quibus tamen in præsenti nihil dicendum, quoniam fructus hujus revulsionis uberrimè commemorantur in *Celeberrimi BOHNII Dissertatione de Revulsione Cruenta.*

§. VI. Ad revellentia pertinent & fonticuli in morbis oculorum, Phthisi, ne nempe materia corrosiva pulmones inficiat, item in ulceribus pedum chronicis, in peste ipsa, curandi & præservandi fine, ad principium malignum pestiferum corrosivum sensim sensimque ad latera provocandum & educendum, præstantissimi,

§. VII. Revellentia egregia, maximorum morborum remedia præsentissima, sunt vesicatoria, applicata vel in nucha, vel in brachiis, ad derivandum & revellendum motum catarrhorum, vel seri acrioris, quorum usus commendatissimus est in ophthalmiis, suffusione incipiente, tinnitus aurium, odontalgia, angina ipsa, universaliter vero in morbis malignis omnibus, mirandos effectos præstare solent, colligunt enim non tantum & evacuant ipsum principium malignum, sed, nervosas partes irritando, spiritibus alium motum imprimunt, hinc præservant à phrenitide, convulsionibus aliisque lethalibus harum febrium symptomatis.

§. IIX. Ex his jam dictis pater, quantæ sit necessitatis in Physicis & Medicis doctrina de motu, ad rationalem operandi remediorum methodum enucleandam. Denique à motu, quem præstant, remedia etiam repellentia nostra non men suum acceperunt.

§. IX. REPELLENTEA vero sunt remedia alterantia eaque topica, que materiam morbificam ex loco illo, quem occupant, vi qua-

DE REPELLENTIVM VSV DÄMNO. 9

quadam pellunt ad alium, vel, quod clarus est, pellunt materiam à partibus exterioribus versus interiora.

S. X. Remédia voco alterantia, quoniam versantur circa humorum crasis & hinc dependentem motum. Nam quoniam elementa, fluida liquida, corpus nostrum componentia, non homogeneæ sunt naturæ, sed differunt ratione fluiditatis & spissitudinis, ratione ponderis & gravitatis, ratione magnitudinis & figuræ, imo etiam ratione essentiæ, dum constant aquæ, oleosis vel sulphureis, salinis, terreis, & æreo-spirituosis, ideo per se clarum est, pro diversitate horum mixtionis principiorum, diversas subnasci liquidorum intemperies, quæ vitiosum, inordinatum & per consequens morbosum humorum motum non possunt non præstare.

S. XI. Remédia sunt topica, hoc est, externa, morbis externis propria. Nam interna repellentia non dantur nisi diuqñs & impropre talia, ad quem titulum pertinent purgantia, adhibita in variolis jam apparentibus, ita enim brevi tempore maculæ extinguntur cum summa virium immunitatione, cordisque anxietate, diarrhoea, aliisque symptomatibus funestis, qualia exempla prostant in DIEMERBROECKS Hist. Variolarum & Morbillorum. Motus enim naturæ ita plane invertitur, quæ omnem nervum intendit ad expellendam materiam malignam à centro massæ sanguineæ ad latera corporis, per purgantia vero revocatur malignitas ad interiora, & hæc est ratio, quare natura communissime præcludere soleat alvum, ut humidi sufficiens quantitas adsit, ad præstandam materiæ malignæ salinæ corrosivæ solutionem & postea, subsequentem suppurationem. In hunc censem insimul venit potus frigidus, sanguinem mirum quantum in partibus interioribus coagulans, febrim itaque, anginam,

B

phthi-

phthisin, imo mortem ipsam accersens, hinc jecur putridum ab hausto frigido annotavit BONNETTVS in *Sepulcrito Anatomico*, Lib. III, Sect. 2. Historias Apoplecticorum à potu frigido reliquit SCHENCKIVS in *Observationibus Medicis*. p. 324. HAGEDORNIUS Cent. III, Hist. 79. De potu frigido astante corpore affatim hausto plures extintos commémoravit MARCELLVS DONATVS in *Hist. Mirabil.* Lib. IV, c. 6. & CASPARVS de HEREDIA in *Tractatu de Potulentorum Varietatis*, cap. IV. inquit: vidi familias, quæ mane antiquo splendore illuxerunt, vesperi tristi orbitate deflevisse potu sva-
vissimam, sed eventu miseram, inopinatam mortem illorum, qui splendoris vanitatem in potulentorum summa frigiditate posuerunt.

§. XII. Sed redeo ad repellentia nostra uas i^goxn^v
talia, eorumque modum agendi ita expono. Agunt nempe
1.) constringendo poros, ductus, tubulos atque meatus, vel cutis,
vel vasorum sanguiferorum, vel nervorum, vel fibrarum mo-
tricium. 2.) agunt coagulando fluida in tubulis existentia.
Ex priori ratione referuntur suo modo ad refrigerantia,
quæ tonum fibrarum motricium deficientem restituunt, ut,
dum se constringunt tubuli, materia in eorum cavitatibus
præternaturaliter contenta iterum exprimatur, & ideo et-
iam vera adstringentia sunt. At cum refrigerantia resolvant
humores, repellentia vero illos coagulent; ideo omnibus
patet, hæcce remedia toto coelo differre, id quod plures
Medici neglexerunt, & in hunc usque diem negligunt.

§. XIII. Ad repellentia verò pertinent ea, quæ actu
sunt frigida, ut aér, aqua, terra recens effossa, aliaque
corpora. Notum est ex Physica, calorem expandere omnia
corpora, frigus vero constringere & coagulare, id quod mul-
tiplici experimento comprobatur. MARIOTTVS hoc monstrat
in

DE REPELLENTIVM VSU DAMNOSO.

in Parallelepipedo ferreo, quod à calore dilatatur, à frigo. re verò coarctatur, vel ad angustius spacum redigitur. Si enim hoc observamus in tantæ soliditatis corporibus, quid queso cogitandum de frigidorum effectu in corpore nostro?

§. XIV. *Frigida itaque spiritus nostros animales concentrant* haud aliter ac spiritum vini in Thermometro Florentino. Nam, dum sentiunt hostilem frigoris pressionem ab aëre, æthereque condensato, fugiunt ad interiora, quasi per ~~annusq; s; unv;~~ Veterum. Et quid inde aliud sequitur, quam Stupor & Paralysis, dum nempe artus derelinquunt? Aucto vero frigoris gradu ipsi Spiritus in corde, & cerebro, plane extinguntur. Hinc Syncope & Apoplexia. Observamus enim in mortuis ex frigore, prius somnolentiam, & in extremis stuporem, ac quando calore non fœventur, tunc mors sequitur. Historias Apoplecticorum, hyberno tempore correptorum, legimus in GALENO Lib. de Morborum Differentiis, c. 5. & in FRANCISI BATLE Tract. de Apoplexia, ac alibi. Sic facile nobis concipere possumus modum, quo tremor artuum à frigore excitatur, nempe natura sollicita de conservatione totius, spiritus amandare vult ad partes perpetuo motu, ast non sufficiunt, sed dum fluctuant & refluxuant sine constantia, partes insimul perpetuo tremore convelluntur haud aliter ac in vetulis capitib; tremore laborantibus. Quemadmodum itaque tremor parva convulsio est, ita ipsam Epilepsiam à frigore induci, jam dudum annotavit HIPPOCRATES Lib. V. Aphorismorum 17. & BENIVENIUS de Abditis Morborum Causis c. 46. ac Illustris noster WEDELIVS in Ephemeridibus Germanorum, Anno 2. Obs. 160.

§. XV. *Frigus*, uti ex jam dictis innotuit, coagulat sanguinem universum in syncope, unde ejusmodi coagulationem pre-

stat & particulariter, hoc est, in certis tantummodo organis,
hinc dolores capitis à coagulo sanguinis stagnantis in cere-
bro atque meningibus producuntur. In vulgus notum quo-
que est, anginam, raucedinem, coryzam, tumorem uvulae,
tonsillarum, glandularumque sublingualium, erysipelas capi-
tis, similesque affectus catarrhales à frigore produci. Sic
tempore hyemali & verno Pleuritides, inflammations pulmo-
nūm toto die contingere videmus ab injuria aeris pluviosi,
nebulosi, frigidi, dolores item articulorum, febres intermit-
tentes hisce temporibus solennes sunt, unicè ab aere frido
dependentes, & Medici ad febrem intermittentem recidivam
præcavendam hominibus credulis imaginantur, sie sollen
nicht über das Wasser gehen/auch nicht über tote Leute/
ex nulla alia ratione, quam ut domi manentes sese minus
exponant injuriis aeris frigidioris, alias enim facile sequitur
horror & convulsio panniculi carnosí, hinc febrilis paroxy-
smus statim iterum præsto est.

S. XVI. Commandant quidem Medici ad vasa sanguí-
 fera aperta in hæmorrhagiis constringenda, sanguinemque
 coagulandum, aquam frigidam. Ast hocce remedium pro-
 vidè applicandum, similiter terra recens effossa in puncturis
 apum. Sic in scholis digladiatorum receptum est, quod
 oculis contusis statim applicent globulum gladii frigidum.
 (den Rappir-Knopf) ita enim contusione dilatata & ex-
 pansæ fibræ à frigore constringuntur, & sic prohibetur, ne
 sanguis in vasa illa dilatata irruere, ibique suggillationem &
 inflammationem producere possit. Ast hoc in instanti fieri
 debet, alias nocivum evadit remedium.

S. XVII. Frigus itaque constringit insimul tubulos par-
 tium solidarum, sicuti jam diximus. Hoc comprobant uber-
 rime retropulsi morbi maligni lethali eventu, quales
 sunt

sunt petechiae, purpura, variola, morbilli, de quibus notatu dignissima reperitur observatio in HAGEDORNI *Observ. Cent.* I. *Hist.* 77. Cum nempe in pago quodam morbilli Epidemice grasserentur, infantes etate minores, & ad deambulandum impotentes maximam partem evasisse, sed ex illis, qui maculis nondum evanescientibus inclemencia coeli, quae isto tempore dominabatur, sua exposuerunt corpora, capite pariter ac pedibus denudatis, ut solet plebs rustica, incedentes, complures occubuisse, postquam verò reliqui ab aeris inclemencia custodirentur, convaluisse non difficulter. Lactis coagula a denudatione mammarum, hactenus solenni, fœminis quam pluribus contigisse, omnibus notum est.

S. XXIX. Quod de aere dictum est, id valet etiam de aqua frigida. Sic crebior aquæ frigidæ applicatio visus hebetudinem produxisse, notat FABRICIVS HILDANVS, paralysin palpibratum superiorum productam ablutione oculorum, aqua frigida factam, consignavit SCHENKIVS lib. I. *Observat.* p. 364. Ab aquis frigidis nivalibus in locis montosis Tyrolie, Hungariae, Silesiae, strumæ producuntur quam frequentissime, unice à constrictione vasorum, humorumque coagulatione dependentes. Notissima est febris ALEXANDRI M. ab aqua frigida inducta. Cum enim hic Monarcha pulvere atque sudore tectum suum corpus balneo ablueret, in febrim incidebat, ex qua à fidelissimo suo Archiatro Philippo per haustum Bezoardicum eripiebatur, referente CURTIO. Similis historia legitur in FORESTI *observationibus*, Lib. VI. Obs. 39. de infante recens nato, & quidem eo tempore, cum febres pestilentiales grassarentur, cuius corpus maculis rubicundis tectum erat: tonsor imperitus in consilium vocatus, corpus hujus infantis aqua plantaginis abluebat, sic maculae intre répercussæ evanescabant, gravissima sympto-

symptomata superveniebant, & mors eadem nocte sequebatur.

§ XIX. Ad repellentia jure meritoque pertinent primo Epithemata. Hic Jenæ solenne est remedium, non à Medicis, sed à Diabolo ipso inventum, ad homines aperte interficiendos, quod applicant in febribus malignis, Petechiis, cum doloribus capitis, & æstu summo, conjunctis, lutum cum aceto mixtum, (remedium ex officina stercoraria desumptum) & quidem in nucha, circa principium spinalis Medullæ. Hinc cum homines ita interficiunt, felicissime dolorem capitis & æstum extingunt, coagulando nempe sanguinem in arteriis carotidibus & vertebralibus, imò suffocando Spiritus in nervis ex Spinali medulla exeuntibus. Similis egregius effectus expectandus est a gramine recenti contuso, foliis herbarum, aliisque plantis ad pedes applicatis. Incidit in memoriam historię à Domino Præside relata de viro illustri, Consiliario cedemate pedum cum hydrope laborante, cum Medicus in consilium vocatus epithema ex aqua calcis vivæ imponebat, paucis post horis hic ægrotus catarrho suffocativo expirabat.

§. XX. Ad repellentia secundo referuntur Linimenta, tam mucilaginosa, quam aquosa, materiam morbificam ad interiora repellentia. Novimus enim personam Baccho & Veneri deditam, cuius facies tota ulcerosa, & varis furunculis distincta, guttaque rosacea contaminata erat. Hic deformitatem istam extincturus, faciemque suam lœvigatorus, applicabat, omissis internis, linimentum quoddam ex aqua plantaginis, sigilli Salomonis, florum fabarum, cum Saccharo Saturni, vitriolo albo, aliisque. Quid sit? Ulcera ita mundificata felicititer evanescebant, ast brevi tempore magna respirandi difficultate hæc persona laborare incipiebat, quam febris haud levigata.

vis comitabatur, quod utrumque malum à retropulsione hu-
jus materia malignæ, corrosivæ, scorbuticæ, dependebat. Me-
dicus vocatus impendebat Bezoardica, sic vari denuo appare-
bant, & respiratio libera restituebatur.

§. XXI. Occasione linimentorum repellentium non
possimus omittere stratagema illud, quo Medicus quidam Au-
licus eruditus, perversus tamen Politicus, lucro nimium in-
hians, sæpius utebatur. Ille enim, quando libidinosi, Gonor-
rhœa affecti, ab illo consilium petebant, promptus erat atque
paratus ad adstringendum fluxum, & repellendam materiam
faniosam malignam ex ulceribus adhuc recentibus, suppres-
sa sic Gonorrhœa, post elapsas aliquot hebdomas, non po-
terat non vel in bubones, vel in testiculum Venereum, hic
morbus degenerare, ut hac ratione coacti ægroti denuo in eo
auxilium quærerent; discutiebat iterum hosce tumores, & sic
retropulsa materia maligna sese diffundebat per integrum mas-
sam sanguineam, & in Variolam magnam desinebat. Hac de
causa Medicus iterum consultus demum radicitus malum e-
vellere aggrediebatur, adeoque trino quæstu marsupium
suum implere sustinebat.

§. XXII. *Erysipelas*, tanquam morbus communissimus,
hic silentio præteriri non debet, nam proh dolor utpluri-
mum improvide & inepte per repellentia tractatur, unde se-
quentur plerumque effectus satis deplorandi. Refert
SAMVTHVS cent. II. Obs. Medic. 43. de viro nobili, sæpe rosa
in facie tentato, qui cum iter, ea penitus resoluta, faceret,
aere frigidiori vertiginem & linguæ paralysin passus est. A-
lium in Lethalem catalepsin incidisse vitio hocce male cura-
to, annotavit GREMBS in *Arbitrario Interity & Ruina Hominis*,
p. 260. HAGEDORNIUS Cent. I. Hist. 30. narrat, foeminam
applicata aqua frigida horrendum delirium & mortem miser-
rimam

rimam sibi conciliavisse. D. WINCKLERVS anno 6. Eph. German. Obs. 91. exemplum noravit civis cuiusdam Bregensis, laborantis Erysipelate circa dextræ carpum, qui, post imposta repellentia, in delirium incidit, ad mortem usque perdurans, qua de causa GABELCHOVERVS Cent. III. Curat. 14. Annotat. Nec alia ratione, inquit, percunt agrotantes, quam in partes internas principales recusſa, velut si ex Erysipelate in facie oriaritur phrenitis, aut angina, quod plerumque sit à prava curatione, medicamentis nimium repellentibus adhibitis, quin & ab humido, prefertim byernis frigore, quod confispando facit recurrere rosam.

§. XXIII. Erysipelatis itaque natum si investigamus, videmus esse nihil aliud quam crisi naturæ. Natura enim, si ve principium movens vitalē, dum curam gerit corporis, cuncta, quæ ad vitam & sanitatem conservandam faciunt, studiose observat, & removet omni modo possibili id, quod ullo modo laedat, expellit ergo semina morborum, vel intus nata, vel ab extra, per contagium, illata, ut à molestia, quam afferre solent, corpus liberetur, hinc etiam in Erysipelate segregat principium illud malignum destructivum, in corpore contenatum, & quidem triplici modo: 1.) placido nature motu, sine ulla fere alteratione, & sine febri, tumor nempe consurgit sine dolore & molestia, & ita quam optime procedit. 2.) Cum febri, ubi plus vice simplici annotantur primis diebus signa febris admodum malignæ, ast eo momento, quo tumor apparet, omnia mitescunt, inde vulgo dicitur, wenns schwillt/ wirds gut/ quod & in aliis fluxionibus catarrhalibus ita se habere, omnes ferè plebeji probe norunt, v. g. in Odontalgia catarriali, nam materia maligna corrosiva, circa centra nervorum latitans, ejicitur ad latera cutis cum levamine. 3.) Rosa, vel Erysipelas, per crisi februum

Ma-

DE REPELLENTIVM VSV DAMNOSO.

17

malignarum. Ita enim evidentissime apparet, malignum esse principium rosam producens, nam ipsæ febres malignæ ita desinunt critice in ejusmodi tumorem Erysipelatis.

§. XXIV. Ex jam dictis itaque & demonstratis manifestum est, quod repellentia omnia, in Erysipelite adhibita, sine damnanda. Quæras fortassis, quænam illa sint? Respondemus omnia fere hactenus usitata remedia, paucis tantummodo exceptis, nempe suffimentis ex Gummi animæ, tacamahaca, mastiche, olibano, succino, thure, cortice thymiamidis, item pulveribus ad erysipelas, ex farina fabarum, lupinorum, orabi, amylo, sulphure lycopodii, pulvere florum sambuci, cerussa, minio, lythargyrio, pompholige, myrrha, croco. Hæc enim tutissima omnium sunt; nam non adstringunt, nec sic repellunt, neque materiam stagnantem coagulant, nec sic ad suppurationem, vel sphacelum, huncce tumorem disponunt, sed tantummodo id faciunt, ut materia maligna lenissime exspirare possit; reliqua vero omnia, omni modo sunt vitanda, id quod deinceps videbimus. Prius vero locum ex operibus D. CHRISTIAN. IOH. LANGII Tom. III. p. 86. adduxisse incongruum judicamus. Commendat hic inter antodontalgica remedia ipsa repellentia, inquiens: *Novi equidem, a recentioribus quibusdam in totum negari hec remedia, quoniam cum circulari sanguinis motu non bene conveniat eorum effectus, id quod vera ita se habere, jam ex adductis, & postea adducendis, sat is luculenter patebit.*

§. XXV. Quæras itaque porro, an in Erysipelite non sint concedenda linimenta spirituosa, v. g. spiritus vini camphoratus, myrratus, crocatus, spiritus matralis, aqua Anhaltina, Reginæ Hungariae, Apoplectica, similesque aquæ spirituosæ, tanquam notissima, & ubique optima resolventia & discutientia remedia? Respondemus, quod non. Novimus equidem, illa esse admodum proficia in inflammationibus, & quamvis E-

C

rysiplæ-

Erysipelas sit inflammatio, tamen hic talia non permittenda, distinguenda enim sunt probe inflammationes, in aliis quippe est materia reme abilis, in aliis vero non. In aliis inflammationibus materia retrahenda massa sanguineæ minus homogenea existit, sed heterogena, maligna, & sic sanguinis mixtionem turbans & destruens. Cum itaque tale quid in Erysipelate deprehendimus, ideò hi Spiritus, tanquam fortius solventes, non sunt impendendi. Ratio hæc est, motus naturæ invertitur, & segregata materia maligna retro pellitur. Dum spiritus applico, fibras motrices virtute adstrictoria roboro, earumque tonum adaugeo, hinc materia, inibi contenta, repellitur ad massam sanguineam motu naturæ plane contrario ibique febrem malignam, convulsiones, deliria, aliaque horrenda symptomata, imo mortem plane ipsam efficit. Quid sentiendum sit de cortice mediana sambuci, de mucilaginosis, roob sambuci, tanquam humidis, aqueis, aliisque similibus, in Erysipelate alias adhiberi solitis, ex superioribus facile colligitur, & anno pertineant ad GEHEMÆ grausamæ Medicinæ Mordmittel judicent alii.

§. XXVI. Simile judicium ferendum de Unguentis, linimentu oleofisis, Emplastris, sive Saturninus, sive miraculosis, aliisque remedii, quæ sesquipedalibus titulis superbunt. Hæc enim vel repellunt, dum materiam morbificam justo citius dissolvunt, vel, dum poros & fibras laxant, ac oleositatem sua emolliunt, faciunt, ut materiae morbificæ amplius spatium concedatur, quo citius & copiosius affluere valeat, &, dum poros obstruunt & oblinunt, quid queso aliter expectandum, quam sphacelus, vel nociva suppuration? Non tantum in Medicina Dogmaticæ statutis obvium, sed & in vulgus notum est, daß wenn die Rose aufbricht / es schlimme Schaden zu geben pfleget. Ex hac ratione, quoniam malignum principium, sive Sal subtile volatile, acidum, corrosivum destruivum

Etivum, dum circa latera hujus tumoris latitat, intra suppurrandum omnia confinia tumoris inficit, & postea a consolidationem mirum quantum retardat.

§. XXVII. De usu Emplastrorum non possumus prætermittere à nobis observatam historiam viri cujusdam Reverendi, qui Rosa in facie molestabatur, hic, post tumoris ferè plenariam resolutionem, Emplastrum imponit camphoratum, & die Sabbathi suggestum concendit, die Mercurii verò mortuus in lecto repertus est, sine dubio à retropulsione mali, ab emplastro facta.

§. XXIX. Ex hoc casu, & aliis allegatis pluribus, fluuit monitum hocce practicum, quod omnes tumores, imprimis cum inflammatione conjuncti, per externa provide & circumspecte sint tractandi, & semper cogitandum, an aliquid adesse de maligno principio, quod sufficandum de illis imprimis, qui à principio interno geniti sunt. Nam quando materia à Medico retropellitur, reverà neque conscientiose, neque dogmaticè proceditur. De Erysipelate hoc certum est. Ast nec desunt alia observationes de Morbis aliis, per Repellentias tractatis, damaum inferentibus, v. g. in HAGEDORNII Observationibus Cent. I. Hist. 77. legitur de inflammatione Mammarum, quæ dum aquis refrigerantibus (vel potius repellentibus) tractabatur, misera hac foemina incidebat in tantum colli & faucium stuporem, ut ne guttulam quidem, seu Medicamentorum, seu alimentorum, admittere posset, donec tandem inter perpetuas lipothymias vitam cum morte commutabat. Porro novimus casum viri cujusdam Consultissimi, & de republica Lipsensi bene meriti, qui podagra excruciatatur. Charleraneus quidam, ut alter Achilles, dolores hosce extinguere & solvere promittebat, & imponebat topicum, fortassis paregoricum, ast retropellebat acido-tartaream materiam podagræ versus intestina, hinc acerbissima & constantissi-

DISSERTATIO MEDICA

20
ma insequebatur colica. Medici vocati uno ore affirmabant, es wäre ihm das podagra in den Leib und Gedärme gefrieben. Hæc ratio cum nonnullis absconsa videretur, quoniam in intestinis neque articulatio, neque synovia adesset, ansam dedit pluribus dissertationibus & alterationibus. Ait hancce Disputationem ille Vir morte sua decidebat, & priorem assertionem confirmabat.

§. XXIX. Ulcera Chronica, si consolidantur per externa tantum, omissis evacuantibus, sanguinemque depurantibus internis, per repellentia tractantur, & in longe magis periculum homines consiciunt. Hinc vulgo dicitur, der alte Schaden / der Todten-Bruch ist ihm zugangen / daran ist er gestorben / id quod revera ita sese habet. Nam ulcus ipsum consolidatum causa mortis existit. Quemadmodum enim fonticuli, segregando ex corpore omne acre destrutivum principium, sanitati conducunt, ita & ejusmodi ulcus, simile quid praestando, vitam quidem molestam, sed revera longam efficit. Hinc felices & illi deprædicandi, qui rædioso illo affectu, fistula ani excruciantur, per quam omnes humores nocivi, tanquam per fonticulum aliquem, ejiciuntur. Memorabilis reperitur historia in DOMINI à Guldenclee Libri I, de affectibus capitio, cap. 28. de viro quodam nobili. Cum enim hic intra paucos dies ab ulcere quodam chronico, consilio verulæ, liberaretur, paulo post incidit in Cephalalgiam vehementem, cum subsequente occurratione, postea inopinata expuebat, & per tussim rejiciebat materiam purulentam, ac mane semper in ore percipiebat foetorem tales, quallem olim sentiebat ex ulcere pedum, en igitur egregium topicorum repellentium usum & fructum exinde perceptum, & percipiendum.

§. XXX. Viæ, per quas repulso materiae sit, sunt vasa non arteriosa, sed venosa, lymphatica, & nervi. Hæc enim

enim ab exterioribus ducunt fluida versus interiora. De ve-
nis tam sanguineis, quam lymphaticis, nullum est dubium,
quin passiat ejusmodi materiam in se recipere, & versus cor
reducere, nec de nervis dubitare licet. [Certum enim est,
quod eorum usus non tantummodo consistat in spirituum ad
partes ablegatione, sed etiam ad cerebrum delatione, quam
thesin, hactenus inter dubias relata, uberrime ostendere
possemus, si ratio instituti, & temporis angustia, id permit-
tere vellet. Hinc materia ipsa maligna in retropulsione se-
se miscet massa sanguinea & spirituum, ac vel plane suffo-
cando spiritus apoplexiam accellerat, vel nervos destru-
endo coecitatem, aphoniam, ac paralyсин infert. Cum mas-
sa sanguinea verò, lege circulationis sanguinis, diffunditur
per universum corporis laticem, & imprimis illa organa in-
festat, quorum substantia admodum tenera, & quorum vasa
subtiliora, & quasi muscosa, existunt, qualia deprehendimus
imprimis in pulmonibus, & Cerebro. Nam omnis materia
maligna retropulsa vel cerebrum laedit, vel pulmones, hinc
vel dolores capitis intolerabiles, phrenitidem, & convulsio-
nes, præstat, vel occupat pulmones, ibique difficilem reddit
respirationem, ex nulla alia ratione, quam ex vasorum sub-
tilitate, que à principio illo saline inæquali vel punguntur,
irritantur, & sic convelluntur, vel plane obstruuntur, core
roduntur & destruantur. Materia enim morborum retro-
pulorum interdum non mutatur, sed eadem manet, ut
hoc observamus in historiis illis, priori thesi allegatis, inter-
dum vero mutatur, magis evolvitur, & in longe deterius
principium abit, quod ex morbis subsequentibus longe
gravioribus dignoscendum.

§ XXXI. Effectum repellentium annotamus ex ma-
li remissione in partibus externis, & ex morbo superveniente
in partibus internis, hinc & prognosis facile formanda, quam

HIPPocrates de Erysipelas suppeditat Libr. VI, apborism. 25.
Erysipelas, inquit, *foris intro converti malum: intus vero foras existere bonum.* Id quod ad alias morbos, per repellentia tractatos, applicandum, semper bonum signum est, quando corporis malum à nobilioribus & interioribus partibus, ad ignobiliores & exteriore vertitur, ita enim si non sanitas, tamen vita conservatur.

§. XXXII. Officii nostri ratio exposcit, in fine subnecere brevem methodum medendi vel curam ipsam, quomodo nempe à repellentibus, improvidè applicatis, enatum malum declinetur; Hoc præstaturi ad tria attendere debemus: 1.) Considerandus morbi retropulsi genius, sive natura. 2.) Ipsum retropellens remedium. Et 3.) denique effectum exinde enatum.

§. XXXIII. Quod morbum retropulsum attinet, notum est, morbos dividi in scholis Medicis in Chronicos & acutos, malignos & benignos. Chronicci fere omnes agnoscunt causam magis fixam, cuius minor motus & velocitas est. Acuti vero producuntur a materia magis mobili volatili & in motu velociori, hinc citius agunt, & retropulsi, in partibus interioribus ex instanti scenam ludere incipiunt. Ergo etiam illis resistere debemus generosis remediis repellentibus, ut vi ejiciatur hic hostis, denuo admissus. Conveniunt itaque apprime Bezoardica volatilia, media, & fixa, tonum & resistentiam partium solidarum imprimis roborantia, ut motus æquilibrium fluidorum & solidorum, in quo primario consistit sanitas & vita ritè peragatur & conservetur, & ut natura debilitata insimul roboretur, viresque augeantur, hisce jungenda sunt Analeptica.

§ XXXIV. Ad priorem classem pertinent spiritus Cornu Cervi, liquor Cornu Cervi succinatus, sal volatile oleosum, spiritus Bezoardicus Bussii, quæ, ut volatilia, elastica, & tonica, optimæ sunt

sunt repellentia. Media sunt Tinctura Bezoardica D. WEDELII,
Michaëlis, Essentia lignorum, Tinctura Coralliorum, Anti-
monii, Essentia succini, Theriacalis, Balsamica D. SLEVOGTII,
serpentariæ Virginianæ, composita D. PRÆSIDIS, ut Balsamica
& antiputredinosa. Fixis annumerantur lapidosa, terrea, quæ
motus humorum præcipitant, dum partes suas non sphæri-
cas, sed inæquales, globulis sanguinis interponunt, & ita eo-
rum velocitatem limminunt, qualia sunt lapides Bezoardici
Orientales, Occidentalis, factitius de Goa, Pulvis Bezoardicus
Anglicanus, Sennerti, Wedeli, Pannonicus ruber, lapides
cancrorum, corallia rubra, & alba præparata, conchæ, mater
perlarum, perlæ præparatae, antimonium diaphoreticum, &
ex hisce pulveribus, cum Theriaca caelesti, & aqua Cordiali
Herculis Saxoniarum frigida, prophylactica Sylvii, lambuci, ce-
rasorum nigrorum, florum aurantiorum, tiliæ, cinnamomi
buglossata, lilio rum convallium, compositæ potiones. Hæc
enim a centro massæ sanguineæ expellunt omnem maligni-
tatem ad latera corporis.

§ XXXV. Analeptica, quæ particulis suis subtilioribus spiri-
tuum defectum restituunt & vires augent, sunt, Essentia Ambra,
ligni aloes, confeccio alkermes, item Balsamus Vitæ D. PRÆ-
SIDIS sumnum confortans, & simul egregium Bezoardicum,
Balsamicum, ad guttas iij, vel viij, cum potu Theæ.

§ XXXVI. Retropellens remedium ipsuni statim au-
ferendum, ne amplius agar, & ut pori ab illo obstructi aperi-
antur, & aperti serventur.

§ XXXVII. Symptomata ex usu repellentium enata immi-
nuuntur quidem per ipsa Bezoardica, ast consultius est superio-
ribus miscere nervina, antiepileptica, pectoralia, aliaque, qualia
sunt. Essentia Castorei, Pulvis Epilepticus Marchionum, specifi-
cum cephalicum Michaëlis, aliaque. Hisce enim in morbis acutis
malignis retropulis levamen assertur certo certius, modo mor-
bus

bus ita sit comparatus, ut de se de sua moveri possit, & naturae vires non succubuerint. Hostem quoque in hisce morbis retroversum iterum revocant, rubefacientia & vesicatoria revellendi & evacuandi fine adhibita, & in morbis chronicis fonticuli.

§. XXXIX. In morbis chronicis retropulsis præter jam dicta non incongrua existunt alia evaquantia, qualia sunt lenia laxantia & in Morbis Venereis ipsa Mercurialis & salivatio Mercurialis. Huc pertinent & Diuretica, per urinam evaquantia, qualia sunt. Decocta ex radicibus, herbis, & lignis temperantibus composita, aliasque similia, quæ Medico rationali & erudito satis superque nota sunt.

§. XXXIX. Nec minus prodest Diætam observare, & ordinem, in usu sex rerum nonnaturalium, legitima ratione tenere. Caveat itaque sibi, morbi cujusdam retroulsionem a Medico vel imperito, vel in honestum lucrum captante, vel etiam per accidens, passus, ab aere frigidiusculo, quia hic humores coagulat, sit potius iste temperatus magis tamen ad calidum inclinans, ut hoc modo adjuta natura propellere valeat materiam malignam ad latera corporis, elasticitate, quam calida præstant. Cibus & potus sit tenuis, ne salia septica in corpore augeantur. Somnus promovendus naturali conveniens, nam somnus non tantum motum sanguinis & quibilem restituit, humores noxios segregat, sed & vires morbo retrogrado debilitatas restituit. Motus, si vires sufficiunt, in subsidium vocetur, moderatus tamen, & in loco calido, nam insensibilem transpirationem promovet, qua malum retroactum expellitur. Animus affectus, quoniam massam sanguineam & spirituum aut nimium expandunt, ut ira, gaudium, vel nimium concentrant uti terror & tristitia, cane pejus & angue vitandi, quemadmodum enim isti motum sanguinis turbant: ita omnem, atque adeo etiam morborum retro pulsorum, curationem sufflaminant. Excretiones denique omnes libere servandæ ne malum retroactum ita radices agere queat.

S. D. G.


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3





B.I.G.

Black

Farbkarte #13



DISSE^TRAT^O M^EDICA
DE

REPELLEN^TIVM
V SV DAMNOSO,

QVAM,

DEO TRINVNO AVSPICE,

RECTORE HVIVS VNUERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA,

ILLVSTRIS AC GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICA^E CONSENSV.

PRAESIDE

VIRO NOBILISSIMO AC EXPERTISSIMO

HERMAN. FRIDER. TEICHMEYERO,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, CELSISSIMAE S. R. I.
COMITIS DE HATZFELD ET GLEICHEN ARCHIATRO

ET MEDICO PROVINCIALI,

PATRONO, PRAECEPTORE, SALVTIS QVE MEAE AMPLIFICATORE
SVMMOPERE DEVENERANDO,

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IOH. HENR. GIESELER,

CRANNICHELD. THVR.

Ad. d. XXII. APRIL. MDCC XVI.

IN AVDITORIO MEDICO,
HORIS CONSVENTIS.

J E N A,

TTPI^E K REBSIANIS.

19.